

stipatos ingredi, adeo in immensum crevit, ut jam serie inversa praeceptorum discipuli vestigales habeant; leges ei feriendi non modo praescribant pro arbitrio, verum etiam ne ultra laconicam clepsydram praelegant, frustra adversum perditum hunc morem obnitentibus Triumviris. Atque utinam ne tanta licentia literis aliquando afferat justitium, ne dum serias scholis longiores. Nam quem fervor ille aetatis timeat in abrupta praeceps, postquam timeri a magistris coepit? Quos, nisi dicto paruerint, pastoricia fistula excipiunt, aut ita solos in scholis subito destituunt, ut surdis auditoribus, pluteis utantur. Asservantur apud nos in scriniis Musarum, ejus literae Patavio ad me transmissae, in quibus seria joci quasi insiticiis, ut saepe, temperans ita argutatur: *Mutationem laborum refectiois sibi esse loco; curas, veluti convivales olim umbras summates viros ad coenas, se, quocumque pedem extulit, iniussas prosequi; Achatem suam illas esse, si vera de ejus nominis etymo a Virgilianis interpretibus narrantur, de voce graeca id descripti, quae in latinum versa solitudinem significat, estque Rempublicam administrantibus comes omnium horarum.* Tempus erit (ut ingentium virorum vestigia cupide noscuntur, monstranturque) quo posterii gestient invisere penates, quos tantus implevit hospes; quae spatia ejus inambulationes; qui remissiones horti exceperet; nec minori celebritate memorabitur angulus ille felix amoenorum moenium Medoaci fluctibus amictus, quam olim Lucrini litus Publii Scipionis secessu nobile; nisi ingrati esse voluerimus erga viri meritum, qui non, ut Hermes vialis intento digito, sed officio, sermone, & quod sermone ipso multo est praestantius, exemplo iter suis civibus monstrabat ad virtutem.

Locus me admonet, ut aliquid dicam de selectarum *Epistolarum* voluminibus, quas ille ad diversos dedit perquamplurimas philologas, historicas, familiares, scribendi genere facili, & illaborato (comendae enim orationi gravior jam annis non immorabatur) sed perspicuo, sententiisque crebris, quasi gemmarum coloribus distincto. Inter eas longitudine, & elegantia pariter excellit (nam longissima earum quaeque, quod de Archilochi iambis critici dicebant) ferme est pulcherrima, qua *villam Hieronymi Fabricii, Pendentiaquensis Medici*, describit, vel depingit verius adeo iconice, ut insanas hominis substructiones, hortos pensiles, collesque felicium arborum confitos nemoribus, quos ille, Xerxes e chirurgus factus, e manubiis aegrorum in planitie suburbanana excitaret, lectori ob oculos ponat intuendos. Sed quid ego peplum aestimare pergo de lacinia? (a) Ingentis opus argumenti, studiique condidit, unde viri ingenium penitus cognoscitur, *Historiam rerum Venetarum* ex decreto Decemvirum, *Paulo Parutae*, qui prius in eodem scriptionis genere stylum summa cum laude exercuerat, suffectus. Hoc opus, cui tot annorum subcessiva tempora dicaverat, magna ex parte affectum, etsi mors tamquam violentus tribunus intercessit, ne perficeretur, cura tamen *Pauli*, Senatoris optimi, & *Jacobi* filii, juvenis lectissimi (quae est eorum in fratrem patrumque pietas) minime committet, ut cum blattis diutius luctetur: votis certe studiosorum minus expetitur ut in lucem prodeat, ejus quantumvis properata facere non poterit editio. (b) In eo (vide mores ab inani jactantia immensis sane spatiis diremptos) cum res, ipso jam publicis consiliis admoto summope-reque adnitente, decretas in Senatu memoraret, nunquam induci potuit, ut de se, praeclarisque suis inter diversa sentientes dissertationibus verbum ullum faceret, magna historicorum omnis aevi exempla secuturus, si fecisset. (c) Ejusdem quoque varia opuscula, *elogiaque* quamplurima leguntur, quibus ille, ad historiam veluti praeludens, amicorum supremis parentavit: quo-

(a) pag.
xiii. lin. 20.

(b) pag.
xxxi. lin. 6.

(c) pag.
xiii. lin. 13.